
PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA
Legato Anselmi
OA. - b -
113

LANIFICIUM
ET
LANICII CURATIO
CARMEN
JOHANNIS BERNARDI VIGI

LAT. ELOQ. PROFESSORIS IN R. ATHEN.



TAURINI MDCCXCV.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA

LANIFICIUM
ET
LANICII CURATIO

CARMEN.

Tergoribus carpti pecudumque oviumque per annum
Velleris omnigeni qui sit mortalibus usus;
Quaeve ars texendi; quo stamina quaeque paranda
Sint studio, ut votis cunctorum denique texta
Respondere queant hominum, domibusque superbis
Haud invisa, inopum quoque squalida tecta subire:
Quae sit cura ovium, meliora ut vellera reddas,
Dicere fert animus. Saepe o! in vota vocate
Sis iterum facilis mihi, Phoebe, et coepta secunda:
Nec, quia res humilis, quia trita, haud digna putetur
Auspicio, Pater alme, tuo; Tu namque receptus
Hospes ad Amphrysum (fama est notissima) quondam
Tu quoque pavisti custos armenta, gregesque;
Vellera Tu nosti, quo sint sub sidere acuta
Forfice tondenda, et quae ovibus mage pabula grata,

Quaeque illis noceant docuisti, ac pellere morbos.
Nec Te poenituit silvas mulcere cicutis,
Seposita cithara, nec sibila tollere ab altis
Culminibus, vel voce gregem revocare ad ovile:
Non humiles habitare casas, non septa tueri,
Vimque omnem procul, insidiasque arcere luporum.
Nec puduit summum, quo non tibi carior alter,
Mantoum Vatem silvas, et pascua primum,
Dein agros canere, agrestumque, bovumque labores.
Hoc duce laetus iter, qua nulla est semita, tendam.

Ver ubi prodierit, seque omnis floribus arbor *
Induerit, foliisque novis, et gramine tellus,
Et breviora die procedent tempora noctis,
Vellera tondendi tempus venisse memento,
Pastor, et extemplo ferrum cos reddat acutum.
Ergo laborantes nimio cum matribus agni,
Ordine nullo, omnes passim expolientur amictu.

* Tonsurae tempus inter aequinoctium vernum, et solstitium, quum sudare incoeperint oves, a quo sudore lana recens tonsa succida est appellata. Var. lib. 2 R. R. cap. 2.

Nec contemnendum, quid possit luna putarim
Aspectu vario; nam si tenuissima coelo
Cornua se prodant, nec nona, aut septima saltem
Lux ierit, postquam nova fulserit illa revertens,
Parcere tunc ovibus, ferrumque jacere repostum
Antiqui docuere Patres, qui sidera norunt;
Nempe ut lanicio tineae (si credere dignum est)
Non noceant, noceantve minus. Secernere vellus *
Dein cura, et carptum quod ab alvo, ac pectore, carpto
Cruribus, et caudis, carpto collisque, humerisque
Non immiscere, et triplex distinguere in usus
Multigenos genus, ac ternos componere acervos.
Hinc pars multa toris linquatur: plurima amictum
Sufficiat populis, varioque labore paretur:
Caetera militibus, nautisque ad frigus, et imbres,
Ad vim ventorum, miseraeque incommoda vitae
Gausapa praebebit, galeasque, ac tegmina crurum,
Gausapa multorum mensis, velamina lectis.
Nec tamen omne velim purgari vellus in usus

* Le persone del mestiere distinguono in ogni tosatura tre qualità di lana. 1. La lana madre, che è quella della schiena, e del collo. 2. La lana delle code, e delle coscie. 3. Quella del petto, del di sotto del ventre, e delle altre parti del corpo.

Grisellini Dizionario delle arti, e de' mestieri Tom. V pag. 254. Venezia mdcclxix.

Hos tantum; si etenim illotum, et quale excidit armis
Forfice detonsum, servetur, nomine dictum
Hinc proprio, ut sordens sudore, medeberis ipso*
Morbis permultis, quos haud memorare necesse.
Purgandi at ratio sat nota *2: immittitur amplum
In labrum vellus modo tonsum: infunditur inde
Commistus liquor, at qui non nimiumve, parumve
Sit calidus, cujus tres sint cujuslibet undae
Partes, at quarta urinae; mox terque quaterque
Versetur fuste ingenti, dum fervidus humor
Frigescat, fumusque ab eo se tollere ad auras
Desierit: magnis tum vero corbibus ipsum
Exceptum illimis rivus, vel perluat amnis.
His actis deducta colo, glomerataque curam
Textorum lana exercet. Prius ordine fila
Disponunt certo (telae haec primordia), et aptant
Praelo extenta suo, presso ut subtegmine nectant.
At primum sic disposita, atque hinc dicta *catenam*, *3

* Succidae (lanae) plurima praestant remedia. Plin. Hist. nat. lib. XXIX c. 2.

*2 Gris. pag. 262. v. Tab. XIX fig. 1.

*3 Quando le *catene* si trovino ordite, per metterle sul mestiere trattasi primieramente d' incollarle, o, come volgarmente dicesi, d' *imbozzimarle*. Tale preparazione è necessaria per dare al filo la consistenza, di cui ha d' uopo, ond' essere lavorato in panno. Grisel. 277.

Gluttine sat calido perfundunt magno in aheno;
Dein satis imbuta exsiccant distenta per artem.
Hinc atque inde viri accipiunt, redduntque oneratum
Staminibus radium, discretaque fila vicissim
Deprimit ac tollit connitens pes utriusque,
Insilibus pressis leviter stridentibus infra:
Atque manus longo percurrit pectine pulsans,
Nec semel aut iterum, at novies, deciesque, vel ultra. *
Fit strepitus: lateque domus resonatque, tremitque,
Atque jugum pannus, repetitis auctibus, implet.
Quin etiam unus homo *2 (quid enim sat culta, sagaxque
Mens humana nequit?) quamvis latissima, cuncta
Stamina percurret radio, et subtegmina texet:
Unus subtegmen pressabit pectine adacto,
Si, quod praesidium, dictu mirabile, et omni
Majus laude olim, ingenioque, usuque magistro,

* I panni comuni sono battuti a quattro colpi, i fini a nove, i doppj a quindici, ed anche più. Gr. 284.

*2 Un Inglese chiamato Gioanni *Kai* ha trovato il modo di far lavorare i panni più larghi da un solo operajo, che li fabbrica così bene, nè impiega maggior tempo di quello, che ne pongano due. Questo mechanismo (la *navetta Inglese*) cominciò comparire verso la fine dell' anno 1737, e per esso l' Autore ebbe una larga ricompensa dal Governo. Gris. p. 288. Vid. ibi accuratam illius anglici radii descriptionem, ejusdemque figuram, quae decimaquinta est in Tab. XXI.

Invenere Angli non nesciat, ac velit uti.
Quis sat miretur radium discedere cernens
Sponte sua extemplo, diducta ubi fila patescunt,
Atque aditum praebent, celerique hinc, indeque motu
Ire repercussum, et spatia haud excedere jussa?
Nempe citae id rotulae praestant, id ferrea fila, ac
Laeves lamellae, et quas res, quam cernere pulcrum,
Tantumdem est magnum facili describere versu.
Quid referam, quot deinde manus nova tela, quot artis
Poscat praesidia, ut rite explorata probetur? *
Principio villos, quotquot sunt corpore sparsi,
Conradunt cunctos, male nexaque stamina, et omne
Percurrunt textum: color hinc inducitur aptus
(Ni jam fila prius, ratio quod suadet et usus,
Lana vel ipsa, colo rite et paullo ante parata,
Ut potius, fuerint; quo par, medicata veneno)
Atque hunc infusus mentitur denique pannus.
Nec satis hoc: superest operis nova cura, laborque

* Fabbricate che sono le tele, il Mastro del Pannificio, dopo di averne riconosciuta la bontà, o i difetti, le consegna a donne, a fanciulle, e putti addestrati a cavare dalle stesse con piccole tenagliette, o pincette di ferro i nodi, i capi dei fili rotti, o ch' escano in fuori, e così le pagliuzze, ed altre sporcizie, che vi fossero rimaste nell' atto della tessitura. Gr. 292.

Fluminis auxilio quocumque imbuta colore *
Densare ex arte, atque abstergere singula texta.
Nota est ex longo jam tempore machina, et usus.
Unda rotam ingentem magno ciet acta canali;
Atque haec dentatum secum movet incita lignum:
Isti autem connexa haerent tria, binave pila,
Atque ita disposita, ut, quoties rota coepta moveri est,
Ipsa simul motum accipiant, sublataque in altum
Cum sonitu, strepituque, suo dein pondere tundant
Suppositum, cingunt quem lata repagula, pannum,
Actaque vi valida alternis surgantque ruantque:
Atque ut, quam longus, tundatur denique totus
(Sic etenim, illuvie abstersa, densetur oportet)
Docta subinde manus conto, vel fuste saligno
Illum agitat, versatque, ac summum subjicit imo.
Id tamen efficient alternis ictibus ipsa
Pila tibi haud dubie, si pars extrema lupinos *2
(Sic multi appellant) dentes imitetur adunca.

* Fulloniae artis inventio Niciae cuidam Megarensi a Plinio (lib. 7 c. 56) tributur.

*2 In termini dell' arte dicesi, che le cime de' maglj debbono avere la testa tagliata a *denti di lupo*. Gr. 306.

At prius hic moli quam supponatur, aperta,
Et lata in capsa pinsendus, plurimus illum
Perfundat sapone liquor medicatus, et horas
Permultas, bisque humectet, spumetque superne,
Sed quem paullo ante admotus calefecerit ignis.
Nec satis hoc: quinas saltem noctesque diesque *
Juverit immersum puris liquisse sub undis.
Nec prodesse minus fertur fullonia creta,
Si tritam, et cribro versatam iterumque iterumque,
Dein super adspersam calida humectaverit unda.
Quin ipsam urinam potiorem, ac anteferendam
Sunt qui contendant; merito sed displicet usus
Permultis, vel quod foetet, vel quod nimis acris
Stamina pervadit, vitiatque, rigentia reddens.
Ast ubi bis tunsus pannus, bisque ante paratus
Pistillis fuerit, calida mergatur, et omnem
Abluere illuviem, quibus haec sit credita cura,
Hinc satagant. Calidam excipiat vel fluminis unda,

* Dopo che i panni siano stati a molle pel corso di un certo tempo, cioè sei in sette giorni, correndo l' inverno, e cinque, o sei in estate, si ritraggono dall' acqua, si lasciano sgocciolare per alquante ore sopra un cavalletto di legno . . . . . . ed in seguito si mettono nelle pile del follo per essere purgati. 305.

Magni vel rivi; hac mersus valideque, diuque
Versetur manibus, versetur fustibus aptis;
Quin et tundatur crebro, dum funditus omni
Jam labe abstersa, purus, qui expressus ab ipso,
Humor eat; dein totum extende, et ad aëra pande.
Sunt qui robusto pede censent posse premendo
Densari texta, et subigi, sordesque levari.
Mox labor extremus, studiumque, aequaliter omnis
Ut color emineat, nullumque in corpore toto
Non venia dignum linquat manus ultima mendum.
Ergo iterum forfex adhibenda, iterumque, nec ullis
Parcendum villis exstantibus; anteque, postque
Pecten, qui adversus prius, hinc aversus ad imum
Textum opus a summo percurrat dentibus hirtis.
Carduus at, solis qui in saltibus ortus, aduncis
Horrescat spinis, totum quae corpus obarment
Praedurae, aruerit si haud longo ex tempore, dextra
Tractatus docili melius, quam pectinis hirti
Dentes, hunc usum praebebit vellera carpens.
Crebris mox uncis nexum subterque superque,
Quam latum est, rugis ne sit locus, undique tensum
Excipiat solis radios; strigilisque refixum
Terque quaterque obeat, facies ut prima nitescat.

Nec mora: postremo, conserta plexibus aequis *
Pergamea charta, aut crassa, laevique, plicetur;
Impositamque super tabulam, lateque tegentem
Comprimat adnitens alte grave pondus adactum.
At prius et pannus leviter conspergitur unda,
Et chartam modicus calefactet subditus ignis.
Immo age si mendum cupias tegere omne, subesse
Quod queat, egregio ceu naevum in corpore sparsum,
Lamina pro charta ferrive, aerisve nitentis
Hos inter plexus, ut par, calefacta locetur.
Sic etenim telis addes pretiumque, decusque;
Judicis ullius nec formidabis acumen.
Quid si bis tinctis, et cura semper eadem, *2
Quam nostris melior lana, et longe optima poscit,
Ut quicumque colos omni aeque in parte nitescat,
Haec postrema manus accesserit, arte magistra,

* Assodare il panno egli è lo stesso, che ridurlo in pieghe quadrate, talvolta gommare ogni piegatura, indi squadernare tutta la pezza, cioè inserire un cartone fra ogni piegatura, ed un altro fino all' ultimo, che copresi con una tavoletta quadrata, e tenere la pezza così qualche tempo sotto il pressojo . . . . . . Si procura di prevenire siffatto inconveniente (*che i peli s' innalzino inegualmente*) replicando lo squadernamento, sostituendo ai primi altri cartoni, o pergamene più liscie, e più fine, e aggiungendovi tratto tratto delle lastre di ferro, o di rame ben calde. 313.

*2 Dibaphi graecanice a Plinio (lib. 9, c. 39) appellantur hujusmodi panni, idest bis tincti a *δὶς* bis, et *βάπτω* tingo.

Quis pretium admirans non mecum tollet ad astra

Cunctorum nomen, queis solis illa, per orbem

Nunc adeo celebris tam magnum debet honorem?

Nempe est abs ipsis perfectum, ut lanea texta

Serica mollitie certent aequare, nec illis

Uti poeniteat mage claros divite censu,

Nec, quos luxus edax vulgaria temnere cogit,

Nec quae matronae, cultus dum velle videntur

Securae dici, procedunt mane, domosque

Cognatas adeunt, atque excipiuntur amice,

Quaeque arcere parant hiberno tempore frigus.

Salve o qui primus filis innectere fila

Coepisti, et lanam nere, atque incommoda vitae

Pellere tot, mutans victumque habitumque ferinum!

Nam quis tum cultus, quum passim pellibus hirtis

Partem aliquam, aut foliis induti, caetera nudi,

Silvestres homines frigusque, aestumque ferebant

Sub Jove, vel specubus clausi, truncisve cavatis

Infelix aevum degentes more ferarum?

At quis te docuit? Quis tandem tradidit artis

Prima elementa novae, posses ut dicier auctor?

An telam admirans, quam texit aranea passim,

(Credo equidem) exemplum sumsisti imitator ab ipsa?

Certe id contendunt non pauci, et Palladis iram
Narrant interea, vatum commenta probantes,
Quasque illi poenas dederit temeraria Arachne,
Ausa manu certare, et acu, atque lacessere Divam.
An vero ista tibi, votis, precibusque secunda
Direxitque manus, animumque accendit amore,
Et laudem hanc voluit deberi tempus in omne?
At nunc quis referat, quot sint adjuncta repertis
Inde tuis, quantis paullatim accessibus auctus
Artis honos? Oleo nendam perfundere lanam *
Hic jussit: pecti prius ipsam carminis uncis
Dentibus hic voluit, ferrumque invenit, et usum:
Cratibus impositam vexari fustibus iste, et
Viminibus crates, aut torta cannabe texi
Praecepit, quo subsideat post verbera multa
Excussus pulvis, si quid lanae haesit, et ipsa
Mollior evadat tundendo, mage aptaque neri:
Ille rotam instituit, qua duci stamina possint
Utilius; docuere alii, quo nomine cuncta

* L'olio migliore, che si possa dare alle lane destinate alla pettinatura, ed alla fabbricazione de' panni fini, è senza contraddizione quello d'uliva. Ciò non ostante gli è stato sostituito in Francia, ed in altri paesi quello di *cavolorapa*, o di *ravizzone*, allorchè trattasi dei panni più grossolani, atteso che costa meno. 267.

Artis textrinae sint instrumenta vocanda,
Quove ea sit ligno, quove aere parare necesse;
Quae laus textoris; quae illi peccata cavenda;
Quae minus huic operi, quaeve illi aptissima lana;
Et qua sit cura artifici, studioque paranda.
Felices orae, quibus indulgentia coeli
Hoc tribuit solis, meliora ut vellera vobis
Invideant aliae, naturae haec munera frustra
Optantes, vosque in primis, quas Sequana late
Irrigat, ac ditat, et quas Tamesisque, et Iberus,
Quasque urbem Romam adlabens, quondam Albula dictus.
Plures usque greges vestris in saltibus errent,
Aptaque sufficite, et non deficientia cunctis
Pabula, sed rigidi ah? desint, ubi pascua, vepres,
Velleribus vepres inimica, et noxia silva;
Namque ea decerpent, si forte accesserit errans
Grex, et non raro ipsius quoque tergora laedent.
Ergo his, pastores, si vobis debita cura est
Lanicii, vestras arcete, ubicumque habeatis,
Lanigeras pecudes, atque hac defendite peste,
Pascentesve aptus semper defendat amictus.
Sic o dulcis amos hominum, dulcissima rerum,
Candida Pax redeat, liceatque et serica nostra

Vestris laniciis mutare, ac foedere amico
Mittere, vel petere, et communia reddere cuncta,
Proposito pretio, tellus quae propria gignit,
Quodque manu artificum perfectum postulat usus.
At nos interea, si nobis vellera desint,
Queis adeo se se vestra oppida, ruraque jactant,
Partis contenti studio pergemus, et arte
Stamina texendo certare, atque optima vestra
Texta admirantes nostrorum extendere famam.
Quare agite o quotquot nostro sub sole vetustam
Artem exercetis, qua non mortalibus ulla
Utilior, non ulla coli mage digna, laborum
Quaerite vestrorum mercedem, quam aemulus ardor
Optare exstimulat, quam suadet conscia virtus:
Vosque o in primis, queis publica tradita cura
Regali auspicio, patrio quid vellere possit
Magnis sub tectis * tentari, ostendere. At ipsum
Quid melius faciat; quae ovium sit cura gerenda

* Plurima sunt in subalpinis Provinciis, et in Bugellensi potissimum aedificia, in quibus omne panni genus conficitur; Ulmetae autem et Pinerolii omnium celeberrima, ubi regiis sub auspiciis ea cum laude diligentiae, peritiaeque aliquot panni prae caeteris elaborantur, ut suo quisque in genere aut nihil omnino, aut parum admodum, si artificium spectetur, exteris cedat.

Hinc jam custodes discant parere parati.
Principio matrum rite est delectus habendus.
Sex annos aetas ne excedat; sitque duobus
Non minor: a capite ad caudam sit corpore toto
Unicolor lana, et mollis, non hirta, tegatque
Alvum non rara, et genua, ac subtilia crura;
Atque his persimiles lanamque, habitumque quotannis
Substituat senibus foetura, ac ditet ovile. *
At, ne degeneret proles, lectissimus esto,
Unus et e multis aries. Dependeat alba
Illius ex humeris, e collo, e pectore lana,
Et caput atque oculos tegat ipsos: cornua sunto
Flexa, sed introrsum; procerum corpus, et amplum,
Turpe caput, lingua haud nigrans, maculisve notata,
Ne referant maculas nascentum vellera easdem. *2
Longa sit et multa inferius lana obsita cauda:
Vixque, aut non, sextum, sed binum excesserit annum.
Praeterea grex iste velim sua pabula solus

* Quae oves aetate sunt jam nimis provecta, *reiculae* a Varrone (lib. 2 R.R. cap. 1) appellantur; eoque auctore a grege sunt removendae.

*2 Δευκὰ δὲ τὰ ἔκγονα, καὶ μέλαινα, ἐὰν ὑπὸ τῇ τοῦ Κριοῦ γλώττῃ λευκαὶ φλέβες ὦσιν, ἢ μέλαιναι. Arist. lib. 6 Hist. anim. c. 19, idest candidi erunt, vel nigri foetus, si sub arietis lingua venae insint vel candidae, vel nigrae.

Carpat, ubi lappaeque absint, tribulique, nec ipsi,
Quae magis apta putes hiberno tempore desint,
Horis sed certis noctu praebenda diuque.
Solo etiam in stabulo, boreae penetrabile frigus
Quod temnat spectans austros, pascantur, alantque
Partus quaeque suos matres, nec verrere sordes,
Arentesque solo filices, stipulamve repostam
Sternere Pastores pigeat, quo molliter illae
Deponant artus somno, nec vellera foedent.
At, sive autumni sub frigora prima; vel ante
Quam ferus exurat sitientia Sirius arva,
Tergora non aegre ferrum patientia, amictu
Nativo exueris, trepidantum suscipe promta
Dextra ovium curam, nec segnis despice Pastor.
Tunc stabulo clausis tonsum prius ablue corpus
Frigida aqua, ac salsa, tum misce oleumque, picemque,
Argenti et spumas, ceramque, atque obline membra.
Sic etenim illaesas morsu servabis ab omni,
Et noctu inclusas, si forte irrepserit acris
Vipera, vel coluber tectis se se abdere gaudens,
(Quem non arcueris suffitu inviso, et odore
Saepe urens crines, cedrum, herbas, galbana, et ossa)
Et quum balantes rursum ad sua pascua duces.

(At satis esse putant multi, vel ab aequore sumtam
Lympham, vel coelo quae sit modo lapsa, vel haustam
E fonte aut fluvio, modo salsam offundere membris;
Et sunt carbonem bene tritum qui addere malint)
Nec valde absimilem medicinam adhibere jubebo,
Si quando scabies, cui grex obnoxius, ullam
Vel minimam ipsius tibi partem invaserit, aut si
Unam etiam tantum ex ovibus, quam saepe videbis
Arboribus costas, collumque, humerosque fricare,
Pabula dum sociae carpent, moestamque jacere
Plenum ad praesepe, atque hirtos horrescere villos:
Quam dum curabis cave, ne contagio serpat
(Quam facile id nosti), et toti una consule ovili,
Aegram secludens, pestis dum cedat acerba.
Sed quid ego haec autem tibi jam notissima frustra
Persequor? Id potius animo tecum ipse revolve,
Qui curae fructus? Quam sit jucunda futura
Gloria si praestes quidquid, ratione magistra,
Te prius admonui, et tua sit industria constans,
Invideant certe multi, et vicinia tota
Laudabit merito secum tua vellera spectans.
At si quis cupiat majorem, externa studendo
Aequare, et fructum et laudem sibi quaerere, discat

Quae peragenda sibi. * Primum a felicibus oris
Poscat oves lectas; queis vir quoque duxq; comesq;
Addatur lectus: tum, quam grex iste requiret,
Suscipiat curam noctesque diesque gerendam.
Principio satis apta loci natura colonis
Quaerenda; hinc statio. Rigua, atque amplissima prata,
Pabula ubi laeta; et crebris nemora aspera dumis,
Ne placeant: placeant saltus, collesque supini,
Praeque istis montes, quorum alta cacumina vere,
Et latera, atque pedes varii sparsi undique flores
Multarum pingant herbarum, et suaviter halent.
Felix, cui pateant montani in pascua saltus,
Non illis valde absimiles herbamque, situmque,
Unde novus missus sibi grex, ut vix putet iste

* Dignissima profecto est, quae hoc loco non sine debita laude commemoretur eximia illa exoticas oves subalpinam in regionem inducendi, laniciique cura, quam excellentissimus Comes Granerius Augustiss. Sard. Regis a Secretis, et Administer, cum jam inde ab eo tempore suscepit, quo Ejus legationem honorificentissimam apud Hispaniarum Regem obibat, tum deinceps maxime, ex quo ad interiorum Regni negotiorum administrationem accessit, pecuariam omnem rem, simul cum lanificio, aliisque id genus artibus, patrocinio suo amplissimo fovens, ac provehens, usque gessit. Ejus autem exemplum secuti V.V.Cl. Eques et Commend. Octavius Provana a Collegno, et Jurisconsultus Bonifacius Gastaldi, aliique jucundum jam fructum a se praescriptae exterarum ovium suis in ovilibus educationis, atque curae quotannis capiunt.

Immutata simul cum coelo pabula grata!
Praesertim aequoreis absint si proxime ab undis.
Multa tamen poterit, sua sint quae pascua cumque,
Cura perficere, ut spe non fallatur inani.
Haec illum, quidquid pars poscat quaelibet anni,
Et quid praestandum noctesque diesque, monebit
Acriter extimulans; illum, quae pabula certis
Horis praebenda hiberno sint tempore, et atris
Imbribus obscuro coelo; quid saepe cavendum
In stabulo atque foris; quibus usque occurrere morbis
Debeat, et quae sit subitis medicina paranda.
Hac monitùs cura nec verno tempore *, si herbae
Albescant tenerae noctu, rigeantque pruina,
Ut saepe, et nondum spiret placida aura favoni,
Nec prima autumni, aut hiemis sub frigora ducet
Mane gregem ad pastum, sed tres, aut amplius, horas,
Postquam luce nova Phoebus lustraverit orbem;
Et prius occasu revocans ad ovile reducet,
Ne quas laedat oves male sanus frigidus aër.
Ast ubi ver demum frondosa exceperit aestas,
Tum bis quoque die, et quum ros gratissimus herbis

* Grisel. pag. 34. t. XII.

Insidet, aurora vix orta, umbrisque fugatis,
Et quum jam medio decedens fervidus axe
Occiduas, queis se condat, sol vergit ad undas,
Emittet stabulo, septisque ad pascua nota;
Verum ubi semper oves, et mane, et vespere solem
Pascendo aversae excipiant, collumque caputque *
Caetera pars tegat, et radiis defendat acutis;
Bisque agat ad puteos, fontesve, aut fluminis oram,
Stagnis avertens, ubi ranis lurida sedes;
Utque aestus vitent, quum sol altissimus axem
Percurret, valles imas exquirat, et umbram
Annosae quercus, aut sicubi saxea moles
Incumbat radios arcens, antrumve patescat.
At procul ab ipsis aries, quum non satis aptum
Ad venerem est tempus, noto aut velamine tela
Cannabina cinctus, media quae pendeat alvo,
Ne invitas ineat, pascatur duxve, comesve.
Quum vero admitti vel mos, vel postulet anni
Pars melior, cupidaeque suum balatibus ignem

* Ante meridiem (aestivo tempore) grex in occidentem spectans agatur, et in eam partem progrediatur; post meridiem in orientem; siquidem plurimum refert, ut pascentium capita sint obversa soli, qui plerumque nocet animalibus oriente praedicto sidere. Colum. lib. VII c. 3, et Grisel. t. XII p. 35.

Prodere coepere uxores, tum largius illum
Nutriat Upilio, mage grata alimenta ministrans
Ante dies aliquot, quam septo emittat ad ipsas;
Mox tribuat salsam compressis omnibus undam;
Atque ut, quum stabulum repetant, sal lambere possint,
(Nil etenim mage profuerit) hoc plenius usque
Pendeat ante fores curabit sacculus intus. *
Quid quum tondendi jam tempus cernet adesse? *2
Lanigeras primum cunctas iterumque iterumque
Abluat ad puteum ductas, fluviumve propinquum;
Deinde solum verrens cinctae stabulum ante cohortis
Vellera ibi carpat, multos et condat acervos;
Mox apto utatur medicamine corpora curans.
Quid curam memorem, quam vellera carpta requirunt,
Rite ut purgata innumeros serventur ad usus?
Scilicet hinc fructus pars magna, hinc grata laborum
Pendebit, Pastor, tua merces, famaque ovilis.
Jam nunc de stabulo quid restat dicere? Notum
Nempe est pastori, tepidos cur debeat austros

* Grisel. t. v pag. 28.

*2 Si fa prima di ogni altra cosa lavar molte volte indosso dell' animale la lana innanzi di tagliarla. Questa maniera era usata dagli antichi, ed è passata in metodo presso agl' Inglesi, i quali debbono principalmente a questa diligenza il lustro, e la bianchezza delle lor lane. Gris. t. v pag. 48.

Spectare, ac boreae oppositum obstare furenti?
Cur in eo sit opus, parva admittenda fenestra,
Lux tenuis, purumque solum, pendensque deorsum
Pariete ab adverso, atque a praesepibus altis?
Huic autem tabulas, queis multa foramina sparsa
Aptari, totumque tegi, supraque jubebo,
Et stipulam et filices substerni, ut molle cubile
Sit pecori, et tabulas permanet quidquid ab alvo
Egestum possit, foedando, velleri obesse. *
Binae sint stabuli partes, quarum altera major
Accipiat sanum pecus omne, cubilia praebens,
Altera sit minor, ast habeat praesepia multa
Divisa, et loculos, ubi matres ubere pascant
Natos quaeque suos, atque agnoscantur ab ipsis,
Donec eos secum vicina ad pascua ducant;
Aegrae ubi curentur; recubet ubi nocte ligatus
Vincla aegre patiens aries, ac saepe recusans.
Magnam praeterea cingant ante ostia partem
Amplae telluris vel texti vimine valli,
(Septa haec saepe alibi coelo renoventur aperto)

* Stabula vero frequenter everrenda et purganda, humorque omnis urinae deverrendus est, qui commodissime siccatur perforatis tabulis, quibus ovilia consternuntur, ut grex supercubet.
Colum. lib. VII cap. 4.

Vel (quod ego malim) * pedibus non amplius altus
Quinque, aut sex, murus, quem juxta et aquaria bina
Haustam undam e puteo, vel magno e fonte fluentem,
Exhibeant facilem sitientibus, et pecus omne
Luxuriare queat, dum nix vetat alta, geluque
Prodire, et nullae apparent in saltibus herbae,
Sol autem medio paullo ante excessit ab axe.
Quin et ibi noctu, si vernum non procul absit. *2
Tempus, et acris hiems mitescere coeperit, ipsum
Linquendum haud dubitem, nisi forte aut frigidus imber
Immineat, vel eum notissima signa minentur.
At juxta interea fures terrere latratu
Assueti, infestosque lupos, pugnare parati,
Arcere, evigilent validique, acresque molossi,
Quos secum pastor custodes undique habebit.
Haec qui praestiterit speret, se posse laborum
Laetari haustorum fructu, et non irrita vota.
At sperare vetat nostri inclementia coeli.

* Itaque cohors clausa sublimi macerie praeponi vestibulo debet, ut sit in eam tutus exitus aestivandi. Col. lib. VII c. 3.

*2 Non desunt pecuariae rei experientissimi atque eruditi viri, qui censeant, etiam hiberno tempore nostro sub coelo sine valetudinis periculo pernoctare oves posse, earumque lanam meliorem ita reddi. Vide seq. Calendarium Georgicum hujus an. p. 28, et an. 1791. p. 238.

An Svecos quondam vetuit, sub sidere natos,
Aut aeque ac nostro, aut potius mage, tristi, et iniquo
Frigoribus longis, nivibusque, et perpete bruma?
Qui magni praecepta viri, atque exempla secuti *
Nunc a se posci, queis tot caruere per annos,
Mutarique auro lectissima vellera gaudent?
Quid referam eximias, magni quas nominis auctor *2
Aequiparavit oves melioribus, atque vetusta
(Nunc nostra) et bello fortis Pollentia alebat?
Quid si juxta alpes, quae proximo ab aequore nomen
Duxerunt, saltus, qui tot, totque optima praebent
Pascua lanigero pecori, tibi missum ab Iberis,
Externisve aliis missum felicibus oris
Accipiant, pascantque gregem, lectasque bidentes?
Aut si Sardoi tot colles, mite ubi coelum,
Aequoreaeque aurae spirant, ubi pabula grata
Carpere oves possent noctesque, diesque sine ullis

* *Alstromeri*, qui an. 1770 opus praestantissimum edidit Holmiae de Genere eximio lanigeri pecoris, et de ipsius educarione.

*2 Hispania nigri velleris praecipuas (oves) habet; *Pollentia* juxta alpes. *Cani. Plin.* Nat. Hist. lib. VIII c. 48.

Sunt etiam suapte natura commendabiles (colores) pullus, atque fuscus, quos praebent in Italia *Pollentia*; in Boetica Corduda. Colum. lib. VII cap. 2.

Vercellae, fuscique ferax Pollentia villi.

Silv. Ital. lib. VII. v. 597.

Hospitiis, placitisque horis errare luporum *
Securae, nec prata rigent brumaque geluque,
Vel raro albescunt; ubi lanae infesta gregique
Uligo haud nota est, nec pestis acerba, mephytes?
Quid non sperandum? Vel quem spes irrita ludet?
Nempe est audendum: sollers industria, et acris
Cura haud ignavos damnabit denique votis.
Non igitur quemquam vel censu, et sanguine clarum,
Vel factis pudeat pastorum munera nosse;
Non pigris animum adjicere, ignarosque docere,
Atque ovium digna se cura ostendere tactum.
Hanc etenim et summi Proceres (quis nescit?), et ipsi
Gesserunt Reges *2 olim, nec Numina prisca

* Lupis Sardinia omnino carere fertur.

*2 Ne quid de Regibus, ac Principibus exteris dicam, multis jam ante saeculis Sabaudi Principes fere omnes, de invehendis suam in ditionem, suoque patrocinio, ac sua etiam liberalitate provehendis Lanificiis maxime solliciti fuerunt, ut Amedeus VIII. Chamberii (quod quidem ex Ejus decretis satis constat), et Emmanuel Philibertus Nicaeae, aliique. Quo vero studio, et qua munificentia eamdem artem simul cum aliis omnibus, quae ad vitae vel necessitatem, vel commoditatem pertinent, et cum literis, doctrinisque, nostra, Patrumque nostrorum memoria prosecuti usque fuerint Vict. Amedeus II, Carolus Emmanuel III, eorumque gloriae aemulator acerrimus Victorius Amedeus III, ignorare arbitror neminem, qui modo non sit rerum ab ipsis domi gestarum usquequaque ignarus; neque proinde dubitandum est, quin, ut Lanificii, ita ovium etiam, optimique Lanicii diligens curatio ipsis omnibus acceptissima semper fuerit.

Neglexere unquam. Testis mihi Pan, et Apollo.
Ille quidem, Arcadiae Deus olim dictus, ubi arae
Centum olli cunctis accenso ture diebus
Fumabant, spes pastorum, pastor et ipse,
Pavit oves illic aliquando, et munere lanae
Lunam ipsam in silvis donans pellexit amantem, *
Pascebatque gregem et tunc, quum Syringa vocatam,
Seque aspernantem, frustra, Ladonis ad amnem
Usque sequens, rapido pressit vestigia gressu,
Atque ibi pro Nympha, mutato corpore Divûm *2
Auxilio, calamos fertur tenuisse palustres,
Et calamis calamos junxisse deinde sonoros.
Quin et Athlantiades, patria quum missus ab arce,
Sterneret ut letho, cui tradita virginis Iüs,
Heu miseram! vaccae sub imagine triste gementis
Cura nimis vigilem, centeno et lumine cinctum
Custodem, silvas non dedignatus, et altos
Montes, egit ibi, nunc pastoralia tollens
Sibila, nunc inflans calamos, ad pascua laeta
Lanigeras pecudes. Pastor quoque dictus Apollo,
Pastoremque illum vates memorantque canuntque.

* V. Virg. Georg. lib. 3 vers. 391.

*2 Ov. Met. lib. 1, XXVIII, ubi et Mercurius pastorem agens describitur.

Quid referam, quos Roma vetus decrevit honores
Curae ovium insigni, vel quas incuria poenas *
Censorum arbitrio damnanda, notandaque ferret?
Scilicet humanae summa hinc, et plurima vitae
Commoda proveniunt, cunctis notissima; opesque
Quondam majores pecori debebat ovillo
Dives quisque suas; hinc dicta pecunia ab illo,
Signatumque aes omne ovis insignibat imago.
Aurea quin etiam quaedam quoque dicta poëtis
Vellera *2 crediderim, vel quae captavit Iâson
Aequora transmittens, et saeva pericula vincens,
Vel quae Argis fratri fertur rapuisse Thyestes,
Quod pecoris cultu nihil est, aut tempore prisco
Esse putabatur nummis, opibusque parandis
Utilius, nil majorem sibi poscere curam.

* Più di sei secoli dopo Numa la direzione di tutte le greggie apparteneva ancora a' Censori . . . . . Condannavano a grosse emende coloro, che trascuravano le loro greggie, ed accordavano ricompense coll' onorevole titolo di *Ovinus* alle persone, che davano prove di qualche industria concernente al miglioramento delle loro lane. Grisel. t. XII pag. 26.

*2 Illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendit Graeca, et Latina lingua, et veteres poëtae, qui alios vocant *πολύαρνας*, alios *πολυμήλους*, alios *πολυβούτας*, quique ipsas pecudes propter caritatem *aureas habuisse pelles* tradiderunt, ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur, ut in Colchide Oëta Var. R.R. lib. 2. c. 2.

PROVINCIA DI TORINO
AMM. PROV. DI TORINO № 15654 BIBLIOTECA
115224

POTESTATE FACTA.